



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Lilivm Inter Spinis**

**Sterre, Jean Chrysostome van der**

**Antverpiæ, 1627**

Cap. XLVI. Quòd additi sunt vitæ suæ nouem anni.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43032**

ORDINIS PRAEMONST. 153  
per dilectionis affectum & iugem  
memoriã sine intermissione manebat.

CAPVT XLVI.

*Quòd additi sunt vitæ suæ nouem anni.*

**V**OLO (utinam & dignè valeam!)  
aliud præfatæ Virgini & IOSEPH  
commune miraculum enarrare; quod  
nobis est testimonio vtriusque com-  
pertum. Percusserat seruum suum,  
imò filium prædilectum, ad suam  
gloriam, infirmitate & graui & lon-  
ga; quæ omnibus omnino ad mortem  
tendere videbatur. Venit igitur Virgo  
Christi, vt suum visitaret infirmum,  
quem firmiter diligebat; & vt extre-  
mum vale diceret morituro. Iacebat  
autem tunc, dispositione diuina, in  
quodam castello, vbi à Dei famulis,  
sexus vtriusque, licitè poterat visitari.  
Veniens autem Christi virgo, ami-  
cum quidem humanitus est miserata  
languentem; altiùs \* cum multo do-  
lore

\* Fortè le-  
gendum  
tamen.

K 5

lore

lore ingemuit, quòd non esset præcessura, vel saltem comitatura pergentem, & ad vtriusque dilectum pariter profectura. Collecto igitur spiritu, spem concepit, iam etiam desperatum, Domini misericordia, ab ipsis posse mortis ianuis reuocari. Ventum est ergo ad orationem, & Domino IESU Christo pro vita, iam morientis, instantissimè supplicatum. Tandem itaque omnium exauditor, tanta fiducia & tanta instantia in precibus vigilantibus, semetipsum reuelare dignatus est, & sic alloqui procumbentem: Iam tuam petitionem exaudiui; & propter te, vitæ illius addidi quinque annos. At illa: Si petitionem meam exaudisti, inquit, non tantùm quinque (quos à te non petiui) annos, sed ei duodecim addere non recuses. Quid enim sunt quinque anni? Certè istis contenta non sum. At Dominus miserator & misericors, vt aliquantulum satisfaceret filix delicatæ (cuius spiritum contristare

tristare nolebat) Ecce, ait, dabo tibi, ad augmentum vitæ illius, nouem annos. nam in hac vita duodecim annis nullo modo permanebit. Illa verò nihil dubitās de oraculo, infirmo \* quid acceperit reuelauit; alijsque aliud omnino sentientibus dixit, non esse tunc moriturum IOSEPH. Secuta est veritas veritatem, id quod prædictum erat, rerum euentu sequente. Contulit enim contra spem omnium; & in hac vita nobiscum terminum annorum à Domino præfinitum exegit.

*Nouē annis  
IOSEPHO  
grauiter  
decumbētē  
vita diuini-  
tus pro-  
longatur.  
\* Fortē  
quid re-  
sponfi.*

## CAPVT XLVII.

*Quòd anima Virginis præsentata fuit  
ei in Altari.*

ET quia iam illius habui Virginis mentionem, finem illius breui sermone contingam: hoc etenim pertinet ad commendationem IOSEPH. Beata igitur Virgo illam perfectam Sponsi sui præsentiam perfectè desiderans,